

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Vorst Peter Dreier

Dissertatio Academica De Prima Mentis Operatione, Eiusque Differentiis

Rostochi[i]: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154572>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1653
Johann Vorstius
Peter Sreyer



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730154572/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154572/phys_0002)

DFG

I. N. 3.

DISSE^TAT^O ACADEMICA
DE

50

PRIMA MENTIS
OPERATIONE,
EIUS QVE
DIFFERENTIIS,

Qvam consensu Amplissimæ Faculta-
tis Philosophicæ in illustri Academia Rostochiensi

P R Ä S I D E

Eximio atq; Clarissimo Viro,

DN. M. JOHANNE VORSTIO,

Fautore & Amico suo plurimum dilecto,
publicè ventilandam
proponit

P E T R U S Dreyer / Lübecensis,

A U C T O R ,

In Auditorio Majori, d. 16. Julij, horis antemeridianis.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat. Typographi.
ANNO 176 LIII.

ДИАЛОГИ

СИМФОНИЯ



I.



Diotis juxta ac Eruditis tres mentis operationes esse, ita, ut cum maxime, est verum: easq; ab illis perinde ut ab istis discerni, multorum mentibus Eruditorum varias de operationibus operationes posset cire. Veruntamen, quoniam id vero haud absimile est, paucis id ante in limine nostrarum Thesum, qvā adalia aggrediamur, ostendere ac declarare libet.

II. Accidat e. g. ut Idiota qvis in congressu sociorum suorum tacitè mente suā agat atq; operetur, concipiatur item inter alia hominem qui invito Domino rem abstulit alienam; ita tamen ut nulli homini hunc suum conceptum attribuat, neq; illum à qvopiam removeat, sive qvod idem est secundum literatos, intra primam mentis operationem subsistat; significet præterea conceptum istum leniter per Symbolum ipsi respondens, per vocabulum nimirum Fur; Reperiatur autem ex hominum istorum cœtu cavillator qvidam illud ægrè ferens, & indignabundus ex ipso qværat, cur sibi ita detrahatur, atq; convitium faciat, se injuriarum cum eo aetetur, nec acqvietetur, donec id, cuius insimulatus sit, ab illo probetur. Alter nihil mali suspicans, nec sermone suo ulli obrrectans, quid tum faciat. Certe se neminem allocutum, neq; ulli convitium fecisse, regerer, siqvidem absolute ista vox à se sit prolata, itemq; leniter, nec cum impetu (qvod qvodammodo speciem enunciationis habere posset, ut ἔνοια εἰλεπτική, qvæ si plenè enuncietur, ita haberet, tu es vel ille est fur) nec ulli qvidem attributa. Annon igitur ista excusatione atq; depulsione criminis ab Idiota isto facta fuit distinctio inter priam & secundam mentis operationem, dum leniter & absolute

**extra ullam applicationem unius ad alterum conceptum istum suum
se pronunciaisse dicit.**

III. Porro quod tertiam quoque mentis operationem idiotae à secunda distingvere valeant, id quoque facile liquere potest. Primam autem quoniam jam patuit, illos à secunda mentis operatione discernere, non adeò necessarium arbitror ad demonstrandum, ipsos tertiam quoque discernere posse à prima. Eruditis tertiam mentis operationem esse, quā fidem alicui de aliqua re possimus facere, notum est. Quo ipso ab iisdem & tertia mentis operatio probè discernitur à secunda. Idiotas quoque eandem inter secundam & tertiam mentis operationem facere differentiam, istorum hominum conversatio satis arguit. Ut singula demonstrentur, formemus e.g. aliquem casum. Alloquitur idiota aliquis alterum, dicatq; *nihil devia* esse furem. Alter ad quem sermo iste directus, nī facinoris crimen ipsi sit planum, his socii sui verbis, quæ tam vera quam falsa esse possunt, simpliciter atq; confessim non habebit fidem: siquidem quotidiana convertsatio probè eum perdocuit, his aliisq; geminis enunciatis fidem non simpliciter esse tribuendam. Qapropter ut tale adhuc pronunciatum, quod fides ipsi habeatur, alter proferat, h.e. suo priori addat, interrogationem adhibebit, ecquid tandem perpetrat, vel, ut probet illud, *nihil devia* esse furem, ab eo postulabit. Alter, sivera locutus, *nihil devia* esse furem, quod hoc vel illo loci lèvâ perperam usus sit, perhibebit. Auditò jam & hoc, eum adhuc ulterius inquirere nemo animadvertiset: quoniam jam satis sermonum ipsi est, ex quo fides per collectionem ipsi possit fieri; nimirum sacram Scripturam, itemq; leges sic habere, ut, qui lèvâ perperam uititur, sive qui rem alienam invito Domino aufert, tam in honesto titulo insigniatur. Cum igitur *o devia* illud perpetravit, ipsum quoque hoc nomine meritò appellandum esse. Vides jam iterum ex ista inquisitione, solum primum pronunciatum ipsi idiotae non idem valere, quod duo simul sumpta: cum solidam veritatem ex priori colligere haud potuerit. Ut ergo causa, sive probatio, sive medius terminus, ut Logiciloquuntur, quod multò maximum fidei faciendæ erat, adderetur, usus est aliquā interrogatione, & facit ita quasi dismissionem antea prius, ut partem, & universam orationem simul sumptam, ut

totum

totum, h.e. inter secundam & tertiam mentis operationem; qvōd per illam non possimus alicui fidem facere, per hanc autem optimē: Manet igitur utiq; firmum fixumq;, idiotas juxtā ac Eruditos tres mentis operationes sive tria ejus opera discernere posse.

V. Hic v. discrimen mihi observa ejus discretionis qvam faciunt Idiotæ, & ejus qvam Eruditæ faciunt. Illi qvodecunq; faciunt, faciunt vi naturali, nec tam ~~ā~~ ^ā ~~ē~~ ^ē id faciunt, qvām isti. neq; enim satis distinctas suarum mentis operationum notiones habent, nec quantum una mentis operatio discrepet ab altera, perspiciunt. Eruditæ v. qvemadmodum alias res distinctè concipiunt, ita qvōq; suas mentis operationes sic perspectas habent, ut qvibus differentiis illæ à se invicem sint separatæ, non ignorent. Præterea qvoq; Eruditæ suis operationibus intellectus certa vocamina imponere sciunt: id qvod rursus Idiotæ non curant.

V. Et hæc sunt, qvæ breviter de Idiotarum mentis operationum notitiâ carumq; distinctione dicere habuimus. Consideremus nunc illa, qvæ hæc vice multò maximè consideranda nobis proposuimus. Tres esse mentis operationes tum Eruditis tum Idiotis, principio diximus, inq; ea sententia adhucdum firmiter permanendum, nec ab illâ desistendum esse, nobis est persuassissimum. Qvicquid n. mente nostrâ agimus, ad tres illas intellectus operationes reduci posse existimamus.

VI. Istæ autem operationes mentis, qvarum neq; plures neq; pauciores qvām tres ab Eruditis optimē sunt numeratæ, certis & distinctis vocabulis iidem disjunixerunt. Et qvia una includit alteram, unam dixerunt primam mentis operationem, aliam secundam, aliam deniq; tertiam. Deinde unicuiq; imposuerunt alias qvasdam peculiares appellations. Et qvæ ordine prima est, eam appellantur notio-nem, conceptum, item simplicium apprehensionem: qvæ ordine secunda, est enunciationem, itemq; compositionem & divisionem dixerunt: qvæ verò tertia est, eam nuncuparunt ratiocinationem, argumentationem atq; discursum. Ex qvibus enumeratis tribus mentis operationibus tantummodo eam qvæ ordine prima est, hæc vice considerabimus, eaq; nobis nunc ulterius disputationis argumentum erit.

VII. Posset quidem ex antecedentibus intelligi, qvomodo se habeat prima mentis operatio, & qvomodo à ceteris mentis ope-

rationibus ea discernatur, cum aliquo modo id ibi sit expositum: sed melioris explanationis gratia, ejus actionis denuo mentionem injiciamus. Est igitur id prima mentis operatio, quando mente nostra ita operamur, ut neque unum alteri attribuamus, neque alterum ab altero segregemus, ita quidem ut verum aut falsum inde oriatur. E.g. quando concipio rosam, ita tamen, ut ad rosam non applicem aliquid, nec ab ea aliquid removeam ex quo verum aut falsum existat, tum mea cogitatio est prima mentis operatio: quia rosa non purpureum, album aut simile quippiam non attribuo, vel quod idem de rosa non enuncio, quod sit purpurea, alba, seu alio colore praedita; nec ab illa non purpureum, album, seu aliud quicquam removeo, quod sc. non sit purpurea, seu simplici seu alio aliquo colore praedita.

VIII. Ergone, dices, prima mentis operatio est, si citra compositionem & divisionem quippiam apprehendam. Non id est quod volo. Sunt quidem permulti Viri Eruditi atque Clarissimi, qui secundum tantum operationem compositionis & divisionis nominibus appellant: sed reperitur tamen in prima quoque mentis operatione compositio atque divisio non levis. Proferam exemplum: *Homo sedulò frequentans templum Domini*. Si hunc concipiā, ultra primam mentis operationem utique non progredior. Attamen manifesta hic sit compositio. Compono nimirum notionem *hominis* cum notionē *sedulò frequentantis templum Domini*. Quin & haec ipsa notio *sedulò frequentantis templum Domini*, in plures alias notiones resolvi potest. Si item concipiā *hominem non diligenter* (*negligenter*) *frequentantem templum Domini*, est isthac cogitatio haud alia quam prima mentis operatio, & quidem in illa divisio. segregon. ab homine quem concipio non diligenter frequentans templum Domini.

IX. Ex his igitur apparet, minus recte fieri, quod vulgo solam secundam mentis operationem compositionis & divisionis nomine insigniunt. Est & in prima & secunda mentis operatione compositio & divisio. Quod vero differunt compositiones ac divisiones istae, illud est quod in prima mentis operatione talis compositio ac divisio fit, ex qua non oritur verum vel falsum: in secunda autem talis, ex qua verum & falsum utique oritur. Ut igitur secunda mentis operatio à prima recte discernatur, non licebit dicere, esse eam hujusmodi operationem quam componamus aut segregemus

qua-

qvædam: sed dicendum erit, eam esse hujusmodi operationem mentis, qvæ ex primis mentis operationibus ita sit composita, ut verum vel falsum inde existat.

X. Porro, qvoniā compositionē & divisionem primæ etiam mentis operationi vindicavimus, id qvoq; nobis probari non potest, qvòd vulgo primam mentis operationem vocant simplicium apprehensionem. Ecqvid n. omnia qvæ primo mentis actu apprehenduntur, sunt simplicia? Minimè gentium. Sunt qvoq; inter ea qvam plurima composita. Qvorum qvidem unum atq; alterum exemplum jam attulimus, & multò plura afferri adhuc possent. Capiamus adhuc unum atq; alterum. Cum apprehendo sive concipio hominem *album*, tum sanè non apprehendo simplex, sed complexum & compositum qvoddam, istam puta substantiam, & istud qvod ei inhæret accidens. Qvamobrem nec simplicis rei dici potest apprehensio ista: sed dicenda est apprehensio entis compositi sive compleksi. Sed hæc apprehensio, qvamvis sit compositi Entis, atq; adeò compositio qvoq; dici possit, nondum tamen est secunda mentis operatio: propterea qvòd in ea non existit verum vel falsum. Qvan do concipio doctum *Musicum*, non ultra primam mentis operationem progredior: attamen objectum qvod concipio non est simplex qvid, sed compositum. apprehendo enim tam eruditonem qvam scientiam illam de melodia sive cantu harmonico iſſi homini inhærentem, præterea & ipsum hominem. Sic qvando apprehendo quadrangulum in circulo, primam mentis operationem non egredior, sed intra eam consisto: minimè tamen simplex qvid est qvod apprehendo, sed compositum. Cum enim apprehendo quadrangulum in circulo, apprehendo & superficiem quadranguli & quatuor lineas illam terminantes, & circulum in qua consistit, itemq; perimetrum seu circumferentiam, tum angulos parallelogrammi, tum ipsum circulum circumdantē. Ita qvoq; si lacum concipiām, ultra primam mentis operationem non progredior: simplex tamen minimè illud est, sed ens compositum sive complexum. Significat nimirum vox ista copiam aquæ in aliqua mediterranei loci cavitate undiq; terris cinctam: qualia entia Logici appellitare solent Entia complexa, itemq; per accidens.

XI. Præter istam primæ mentis operationis appellationem,
qvæ

quā vulgo qvidem plurimum utuntur, sed quae tamen non satis comoda est, sunt & aliae quādam: quae qvidem multò concinniores videntur. Dicitur autem tum *Notio*, tum *Conceptus*. Et horum primo quidem plurimum usos esse veteres Latinos, qvorum dialecto hodie philosophamur, ad eam ipsam operationem mentis significandam, id dubium esse non potest. En tibi exempla ex incomparabili Latinae lingvæ Principis codice: *Notio est explicanda, & proprietas & partitio.* Top. Nam Cleanthes ut dicas, quatuor modis formatas in animis hominum putabat Decrum esse notiones. lib. 3. de Nat. Deorum. Genus est notio ad plures differentias pertinens. Forma est notio, cuius differentia ad caput generis & quasi frontem referri potest. Notionem appello, quod Greci tum εννοιας, tum ιδεας dicunt. Ea est insita & antē percepta cuiusq; forma cognitio conationis indigens. Top.

XII. Sed istam primæ mentis operationis appellationem, quæ nobis præcipue placet, animadvertisimus aliquibus Viris doctis non placere. Cum paucos abhinc annos Vir Clariss. cædem appellatione usus esset, sustinuit ipsi alius ὥπλη χωρεῖ. Scribit qvidem ille, rectius ab aliis vocari simplicium apprehensionem. Quā de re qvid nos sentiamus, paulò antē est expositum. Deinde addit, notionem multū differre ab operationibus seu actionibus intellectus: notionem dependere ab operationibus mentis, & per illas erui ex ipsis rebus. Ergo apparet, ex istius viri mente nec ipsam aliquam operationem mentis posse notionem dici, nec ipsas res eo nomine posse insigniri: notionem esse qvidam quod per operationem mentis ex ipsis rebus eruatur. Quid autem illud, quod ex ipsis rebus erui credendum est per operationem mentis? An illa, qvibus in Logicis utimur, genus, species, subjectum, prædicatum? Id sane videtur Vir Clariss. sibi velle. Si autem maximè concederemus illud, genus, speciem, subjectum, prædicatum & alia istiusmodi per mentis operationem erui ex ipsis rebus: licet tamen regerere plurima quæ vulgo, atq; adeò ab ipso illo qui isthac scripsit, notiones appellantur, nec tamen per operationem mentis ex ipsis rebus erui possunt dici. Vulgo sane dicunt docentq; animal, hominem, Petrum esse notiones. Sed hæc & similia non eruuntur ex rebus per mentis operationem: sed sunt ipsæ res, aut à rebus abstracta. Petrus sane

vera

vera res est. Animal verò & homo sunt universalia à Petro & similibus Entibus abstracta. Ergone, dices, notiones sunt ipsæ res sive singulares, sive universales? Ita sanè fert hodiernus loquendi modus, ut ipsam rem quam apprehendimus, vocent notionem: eo scilicet vocabulo, quo ipsam apprehensionem appellari convenientius foret. Sic & vox *Conceptus*, quæ & ipsa concipiendi & apprehendendi actum significat, extensa porrò est ad conceptus sive apprehensionis objectum significandum. Hac ratione igitur animal, hominem, Petrum vocant conceptus. Qvoniam autem ista vocis homonymia, quam suo vocis usu fecerunt, duriuscula est, addere solent voculas distinctivas, dicuntq; *conceptum* alium esse *objectivum*, alium formalem. Ubi tunc per conceptum *objectivum* intelligunt ipsum *conceptus* objectum sive ipsam rem conceptam. Atq; idem illud quod vocabulo *Conceptus* evénit, animadvertisimus voci *ἰδεύμα*. *Notio* similiter evenisse. Cum hæc vox nulli rei significandæ aptior sit, quam ipsi operationi mentis primæ: factum tamen est, ut objecta quoq; ejusdem operationis, notiones, & porrò notiones primæ appellarentur.

XIII. Iste tamen quorundam usus nobis minimè debet fraudi esse, ut scilicet vocabulum *notio* nunquam usurpare liceat, nisi cum objectum primæ mentis operationis designare volumus. Afferimus nos usum vocis, qui maxime concinnus est: nulliq; philosophantium in vocabulorum significationes tantum juris concedimus, ut eas ab olere possit, quas tum ipsorum veterum Latinorum usus, tum quoq; vocum etyma & πτώσεις, rectas esse demonstrant. Et usus veterum quidem, quibus hæc lingua vernacula fuit, liquere satis potuit ex his quæ paulò ante produximus. Deinde, quod ad etymon & πτῶσιν vocabulū attinet, derivatum illud est à verbo *noscō*, quod sanè intellectus nostri actionem significat; & proximè quidem ab hujus supino *notum*: πτῶσις; verò talis est, qvalis esse solet eorum nominum, quæ à lupinis derivata actiones sive operationes significant. Sic ambulatio est ipsa ambulandi actio: intellectio est ipse actus intelligendi: consultatio est ipse actus consultandi. Similiter igitur etiam vox *notio* ipsum *noscendi actum* maximè propriè atq; concinè significabit. Præterea hunc vocis usum satis etiam frequentarunt & hodieq; frequentant doctissimi Viri.

XIV. Exposito itaq; qvid sit prima mentis operatio, qvibusq; vocabulis eam appellari conveniat aut non conveniat, convertimus nos ad ejusdem mentis operationis differentias & divisiones: qvorum qvidē non pauca se nobis offerunt. Neq; verō scitē fecit Vir Cl. qvi paucos abhinc annos scripsit, ea qvæ de notionum differentiis commentatus fuerat alter Vir Clariss. supervacua & p̄eposta esse.

XV. Principio igitur primam mentis operationem sive notionem dispescimus in confusam & distinctam. *Confusa* notio est qvā rem aliquam nobis oblatam naturali mentis facultate absq; arte & modo confuso utcunq; concipimus: ut, cum herbam oculis aliquamdiu usurpatam ab alia herba discernimus; aut parallelogramnum ut lineis quatuor constructum apprehendimus, vel circulum ex delineatione apprehensum cogitamus.

XVI. Notio v. *distincta* est, qvando aliquam rem per definitiōnē vel accuratā descriptionē concipimus, sive cum rei notionem ita formamus, ut, qvomodo res illa composita sit, probē perspectum habeamus: ut, si parallelogramnum definiamus, qvod sit quadrilaterum, cuius bina latera sunt parallela: aut circulum, qvod sit superficies plana peripheriā terminata: peripheriam autem qvod sit linea recurrens, cuius qvodvis punctum ab uno aliquo intra eam puncto, qvod centrum dicatur, æqualiter distet. Ita etiam plantæ aliquam speciem, puta sagittam, distinctè apprehendimus, ubi eam concipimus, qvod folia habeat triangularia, ari foliis longiora & angustiora, alatæ sagittæ cuspidem proximè referentia, inter qvæ medius exeat caulis rotundus, levis, intus spongiosus, in quo per intervalla terni nascantur flores, & ipsi ex tribus foliolis commissi, candidi, staminibus qvibusdam in medio puniceis.

XVII. Zarabella in suis operibus Logicis s̄aþe dicit, generis conceptionem esse confusam, speciei v. distinctam: ut si cogitem animal, dicit id esse notionem confusam. Sed videtur tam generis, qvam speciei posse distincta notio esse. Dabo exempla. Ex Geometria scimus qvid sit triangulum, planum nempe tribus rectis lineis terminatum; itemq; qvid sit triangulum æquilaterum, cuius nimirum tria latera sunt æqualia. Hæc sane qvì didicit, & generis & speciei notionem distinctam habet. Nam ex definitione trianguli

habe-

habemus notionem distinctam trianguli : ex definitione trianguli æqvilateri, distinctam notionem trianguli æqvilateri. Sic & figura est continua quantitas perimetro sua undique conclusa. Item figura rectilinea est figura plana rectis lineis terminata. Ex quibus exemplis liquido videlicet, etiam generis conceptum posse satis distinctum esse. Nam quicquid accuratè definitione , itemq; descriptione exprimitur , illius notio est notio distincta , sive illa sit generis , sive speciei definitio.

XVIII. Notio porro vel est absoluta vel respectiva. Notio *absoluta* est, qvæ aliam notionem non respicit : ut notio trianguli, circuli, trapezii. Accidit autem interdum, ut notio absoluta respectum ali. quem includat, ideo tamen absoluta esse non definit : ut notio trianguli isoscelis includit notionem terminati, itemq; æqualis, nec tamen ideo respectiva est.

XIX. Notio autem *respectiva* est , qvæ aliam notionem respicit : ut notio Patris , servi, centri, subjecti. Notio enim Patris suum respectum habet ad filium : notio servi ad herum : centri ad circumferentiam : subjecti ad adjunctum.

XX. Præterea notionum duarum una potest esse latior, altera strictior : vel sunt binæ inter se reciprocæ. *Latior* dicitur duarum notionum altera, altera *strictior*, si illa de hac universim possit prædicari, hæc verò de illa non item. Ut notio quadranguli latior est notione quadrati ; cum omne quadratum sit quadrangulum , non contrà verò omne quadrangulum sit quadratum. Similiter & animalis notio latior est notione eqvi : quandoquidem omnis equus est animal, non verò omne animal est equus. Sic & eqvi notio latior est notione eqvi succursarii : quia notio eqvi de notione eqvi successarii universaliter potest prædicari, non autem notio eqvi succursarii de notione eqvi.

XXI. Dicitur autem notio per notionem vel à notione restringi, si hæc illi adjuncta notionem strictiorem reddat. E. g. quando habeo notionem patris, est notio ista satis lata: huic a. si addam aliam quādam notionem, indulgentis puta , non manet ista notio tam lata quā erat antea, sed confessim sit strictior priori. Qvæ verò hujus causa ? non certè alia, quād hæc notio de altera non potest u-

niversim prædicari. Cæterum notio isthac, quæ alii notioni adjuncta, eam strictiorem reddit, appellatur notio restringens. Ea verò cui additur, dicitur notio restricta. Qvæ eadem, ubi nondum additam sibi habet restringentem illam, irrestricta dici potest.

XXII. Deniq; notiones reciprocæ sunt, quæ de se invicem universim prædicari possunt: ut sunt in Geometria notio figuræ triangulæ & notio figuræ trilateræ: in Physicis notio aranei, & notio animalis exquisitissimo tactu prædicti; item notio animalis rationalis & γελαστικῆς.

XXIII. Dispescitur quoq; Notio in finitam & infinitam. *Finita* est quæ ad certam aliquam & determinatam rem respicit: ut notio lapidis, arboris, maris, isthmi, audientis, hominis non audientis. Notio infinita est quæ ad quidvis præterqvam ad unam qvandam rem respicit, & de qvavis re præterqvam de una qvadam prædicari potest: ut notio non hominis, non Regis, non arboris, non fructiferæ, non videntis. Tò non videns de qvavis re præterqvam de unâ, nimirum de videente prædicari potest. Sic & Philosophus lib. περὶ ἐγου. Nomen & Verbum quæ notionum symbola sive signa sunt, infinita vocat, si voculam & non habeant additam: siqvidem tunc nullum certum entis veri aut ficti conceptum subjiciunt, cum & de iis qvæ non sunt, dicantur. Ipse Philosophus ita habet: τὸ δὲ οὐκ ἀνθρωπός, αὐτὸν ὄνομα. οὐ μηδὲ καταίσχενομα, οὐ, πάτει καλεῖν αὐτό. οὐ πάρελαστος, οὐ πάποφασις εστιν· αλλ' εἴσι αὐτὸν ὄνομα ἀρχιστόν, οὐ μέσοις εἰφέρειν ὑπάρχει καὶ οὐτός οὐ μη ὄντος. Non homo verò non est nomen, atq; non est constitutum nomen quo id oporteat appellare: qvia nec est oratio, nec negatio. Sed esto nomen infinitum: qvia similiter in qvavis inest, tam ente qvam non ente.

XXIV. Porrò Notio distinguitur in *rectam* & *reflexam*. Illa est apprehensio eorum quæ sunt extra intellectum nostrum: hæc vero, quæ apprehendimus ipsum intellectum, ejusq; operationes; e.g. cum concipio notionem, aut enunciationem, harumq; differentias, enunciationem affirmativam aut negativam internam, syllogismum primæ figuræ, & qvidem in hoc vel illo modo. Scimus, qvomodo ratiocinatio discrepet ab enunciatione: qvomodo syllogismus primæ figuræ differat à syllogismo tertia; qvomodo unus syllogismus te. iæ

tertiæ figura differat ab alio syllogismo ejusdem figuræ. Habemus, inquam, distinctas horum entium, harum intellectus nostri operationum notiones sive conceptus. Atque hi conceptus sive ha notiones, ut dixi, merito reflexæ dicuntur: propterea scilicet quod intellectus noster, dum tales conceptus habet, reflectitur in seipsum. Hanc divisionem proponit quoque Scaliger Exerc. CCCVII. c. Card. sect. 2. Cum dixisset, opus intellectus nostri triplex esse, & horum primum quidem esse cognitionem rerum simplicium, subiicit deinde, istud primum mentis opus, quod ipse cognitionem rerum simplicium, nos verò notionem vocamus, esse duplex: rectam cognitionem rerum simplicium esse, quæ sit in prima statim apprehensione: reflexam verò, quoties ipsam intelligimus intellectionem.

XXV. Plurimum etiam in Scholis frequentatur divisio Notionis in primam & secundam. Sed illi qui eâ divisione utuntur, plerumque intelligere solent primæ intellectus nostri operationis objecta, ut i jam suprà monuimus. Apparet præcipue ex eo, quod Ens rationis & notionem secundam ut in dūa usurpat. Entia rationis autem vocant talia, quæ ab intellectu nostro certo modo apprehenduntur & finguntur esse, cum revera non sint. Quod fingimus esse, cum revera non sit, id utique nostræ intellectus operationis objectum est æquè ac illud quod revera existit. Si cerberum pegasum aut similia alia monstra concipiā, sunt utique ficta ista conceptus nostri objecta. Ita quoque, quæ in Logicis finguntur, conceptus nostri objecta sunt. At quæ in Logicis finguntur esse, cum tamen non existant, ea sunt ipsa entia rationis sive notiones secundæ. De notione secundâ Vir Clariss. Conr. Horneius ita: Notio secunda appellatur, non quicquid secundo loco aut vice concipitur in re, verum illud quod intellectus in re ultra essentiam & vera ejus accidentia apprehendit. Sicsi concipiā Petrum ut animal rationale, rifiable, bipes, album, doctum &c. primæ intentiones (primæ notiones) sunt; hæc enim verè & realiter ei competunt, immo competebant, anteqvam de homine isto cogitares. Sin autem eundem consideres ut prædicatum aut subjectum enunciationis, vel ut maiorem, minorem aut medium terminum syllogismi, conceptus aut intentio (notio) secunda est: ea enim ipsi ab intellectu tribuuntur.

cum revera non sint. Alius Vir Clariss. in eandem sententiam sic : Ens rationis (alias noëma noëmatum , intentio vel impositio secunda &c.) propriè dictum est, qvod rem seqvitur mente conceptam per operationem intellectus , qvodq; in mundo operatione cessante nihil est positivi. Qvoniam autem per notiones secundas qvædam intellectus nostri objecta intelligunt , erunt utiq; sic dictæ notiones primæ qvoq; ejusdem intellectus nostri objecta.

XXVI. Cæterum sunt qvoq; nonnulli , qvi cum de notionibus primis & secundis loqvuntur , ipsas intellectus nostri actiones intelligunt. Ille ipse Vir doctus cuius verba paulò antè retulimus , cum qvoddam intellectus objectum *on* φῶς notionem secundam appellasset , mox deinde subiicit : Si Petrum considerem ut subjectum aut prædicatum , ut majorem vel minorem terminum , esse id conceptū sive notionem secundam. Qibus verbis utiq; ipsam intellectus actionem designare videtur. Matth. Flacius verò in opere Logico , ubi de notionibus primis & secundis agit , manifeste ipsas intellectiones designat. Ipsi animalium conceptus , inquit , omnino sunt duplicates. Alii proxime & immediate ab ipsis rebus producuntur , qvi vocantur notiones primæ , *vocabula artis* : ut si quis apud animalium suum hæc cogitet & secum veluti tacitè loqvatur , eqvus , animal , eqvus est animal. Et qvia animal est , imaginatur. Alii sunt conceptus secundarii , qvi nascuntur ex primis : & eorum nomina qvibus designantur , solent dici vocabula artis. Paucis interjectis addit idem Flacius , triplex esse genus secundorum animi conceptuum apud Logicos , sicuti tres sunt intellectus operationes.

XXVII. Quidam appellationem notionis ad ipsa qvoq; vocabula transferunt. Vir Clariss. in epitome suâ Dialecticâ cum dixisset terminum esse in qvem oratio resolvatur , mox deinde terminum dividit in notionem primam & secundam. Et notionem primam porrò dicit esse omnem rem qvatenuis cognitam sit : notionem secundam v. omnem terminum artis sive technologicum , qvales sint in Grammatica Nominativus , Genitivus &c. Primò qvid terminum vocet Vir Clariss. istâ suâ descriptiunculâ expositum voluit. Dicit quidem , illud esse & dici terminum in qvod oratio resolvatur , atq; ut ipse amplius intellectum vult , in qvod resolvi possit , si orationem

jam

jam constituant. Sed ipsa oratio Logicis variorum generum est, mentalis scilicet, vocalis & scripta. Qvare dubium esse possit, qvamnam orationem intellectam velit. An omnia tria orationis genera ipsum comprehendere putabimus? ut terminus dicatur, qvodcunq; orationis vel mentalis, vel vocalis vel scriptæ pars sit vel esse possit. Sanè Rod. Arriaga, cum in eandem ferè sententiam scripsisset, terminum esse extremum propositionis, mox deinde subiicit, qvot sunt propositionis species, tot esse & terminorum: qvia ergo propositione triplex assignetur, inde triplicem qvoq; esse terminū, mentalem, vocalem, & scriptum. Scriptum terminum esse ipsam vocem scriptā in papyro vel alio: vocalem esse ipsam vocem ab homine prolatam: mentalem deniq; esse actum ipsum intellectus, qvo qvis subjectum vel prædicatum constitutat. Si igitur Vir Clariss. in sua termini definitione pro triplici genere orationis triplicem qvoq; terminum statuat: erunt qvoq; istæ quasi species, in quas terminum ut genus qvod-dam dividit, trium generum. Notio prima, inquam, tum ipse conceptus in animo erit, tum vox ore prolatæ qvæ ejus signum est, tum deniq; vox scripta, qvæ ejus itidem est signum. Sed ita non bene quadrabunt qvæ Vir Clariss. addidit. De notione primâ dicit, esse ipsam rem quatenus cognita sit. Qvibus verbis utrum ipsam rem qvæ intellectus objectum est indigitat: an verò simulacrum ejus in mente? Certè alterutrum intelligi necessum est. De notione secunda a. dicit idem ille, eam esse omnem terminū artis sive technologicum. Ubi sanè per terminum artis non aliud intelligere viderur, qvam ipsa illa vocabula, qvibus in Logica, Grammatica aliisq; disciplinis vulgo utuntur. Illa, inquam, vocabula qvæ Grammatici sibi propria habent, Nominativū, Genitivum, Dativum, vocat notiones secundas. Certum est, ipsum unā cum aliis terminum vocare quamvis vocem; tum etiam, ubi nondum propositionem aut syllogismum est ingressa. Qvocirca etiam disertè ex Philippo Dutrieu monet, terminum etiam vocari extra syllogismum & propositionem, qvi auctore resolutionem syllogisticaam non terminet (sed qvi syllogismum & propositionem modo ingredi eorumq; pars aliqua esse possit.) Verum is Philosophus quem nostri hominis imitari student, non sic vocabulis usus est, ut ipsi hodie faciunt. Non appellavit Aristoteles vocabula ὄργα, nisi ubi in propositionibus & syllogismis ea consideravit.

XXVIII.

XXVIII. Sed videamus, qvomodo definitiones notionis primæ & secundæ, qvas Vir Clariss. dedit, quadrent definitioni termini. Dico igitur, si per terminum intelligat omne illud in qvōd & oratio mentalis, & vocalis, & scripta resolvi potest, non bene illi quadrare definitiones cæteras. Terminum ille qvæsi genus ponit: notionem primam & secundam verò ut species. Ergo utiq; istis speciebus competere debebat qvicq; genere comprehenditur. Sed non potest ita. Notionem primam definit qvōd sit ipsa res qvatenuis cognitatis. Qvibus verbis vel ipsum intellectus objectum, vel simulacrum ejus in mente intelligi necesse est. Si objectum intellectus intelligat, nihil ei commune erit cum termino. Hic enim tale qvid est, in qvōd oratio tum mentalis, tum vocalis, tum scripta resolvi potest, hoc est, est vel conceptus, vel vox, hæcq; vel ore prolatæ, vel scripta. Si autem per notionem primam intellegat simulacrum objecti in mente, aliquatenus qvidem ei conveniet cum termino: non vero omnimodis. Terminum supponimus ex mente Autoris vel conceptum esse vel vocem. Qvatenuis igitur terminus est conceptus, etenus illi cum notione primâ conveniet: qvatenuis verò vox est, etenus conveniet non item. Porro notio secundæ, ut Vir Clariss. eam describit, cum termino conveniet, qvatenuis terminus vox est: alio modo non conveniet. Quid si verò per terminū non intelligat omne illud in qvōd oratio & mentalis, & vocalis, & scripta resolvi potest; sed illud modò, in qvōd resolvipotest oratio tum vocalis tum scripta? Tunc notio secunda congruet: notio prima non item. hæc enim, ut Vir Clariss. descripsit, ipsa res est qvatenuis cognita.

Qvōd qvidem non aliter intelligi potest
qvām vel de ipso intellectus objecto, vel de objecti simu-
lacro qvod in mente est. καὶ τίντα δή
μὲν τίντη,





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730154572/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154572/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn730154572/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn730154572/phys_0020)

DFG

tertiæ figuræ differat ab alio syllogismo e
inqvam, distinctas horum entium, haru
tionum notiones sive conceptus. Atq;
nes, ut dixi, merito reflexæ dicuntur : I
tellectus noster, dum tales conceptus ha
Hanc divisionem proponit qvoq; Scalige
sect. 2. Cum dixisset, opus intellectus n
primum quidem esse cognitionem reru
inde, illud primum mentis opus, qvod ip
plicium, nos verò notionem vocamus,
cognitionem rerum simplicium esse, qvæ sit in
ne : reflexam verò, qvoties ipsam intellig

XXV. Plurimū etiam in Scholi
tionis in primam & secundam. Sed illi q
rumq; intelligere solent primæ intellect
cta, uia jam suprà monuimus. Apparet pi
tionis & notionem secundam ut in dīva
autem vocant talia, qvæ ab intellectu no
duntur & finguntur esse, cum revera no
te, cum revera non sit, id utiq; nostræ in
ctum est æqvæ ac illud qvod revera existi
aut similia alia monstra concipiāt, si
ceptus nostri objecta. Ita qvoq; qvæ in
ptus nostri objecta fiunt. At qvæ in Log
men non existant, ea sunt ipsa entia ratio
De notione secundâ Vir Clariss. Conr. Ho
appellatur, non qvicqvæ secundo loco
verùm illud qvod intellectus in re ultra e
dentia apprehendit. Sic si concipiāt Pet
sibile, bipes, album, doctum &c. prim
tiones) sunt ; hæc enim verè & realiter ex
tebant, anteqvam de homine isto cogit
consideres ut prædicatum aut subiectum
rem, minorem aut medium terminum
intentio (notio) secunda est : ea enim ip

B



Habemus
nostrī opera
tive hæ notio
et qvōd in
in seipsum.
VII. c. Card
e, & horum
subiicit de
rerum sim
ctam cogni
pprehensio
nem.

divisio No
tuntur, plé⁺
ationis obje
qvōd Ens ra
ntia rationis
o apprehe
fingimus es
ationis obje
im pegasum
ta ista con
tutur, conce
sse, cum ta
es secundæ
otio secunda
pitur in re ;
a ejus acci
rationale, ri
(primæ no
mò compre
em eundem
vel ut majo
nceptus aut
tribuuntur,
cum

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.